

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Promptuarium allegoriarum sacrarum praincipia fidei
christianae capita illustrantium: indice quadruplici
instructum post editiones 5 revisum, iam septimo
recusum**

Botsack, Johann

Francofurti ad Moenum, 1678

Caput II. De deo

[urn:nbn:de:bsz:31-142795](#)

CAPUT II. DE DEO.

ARTICVLVS I. DE COGNITIONE DEI. COGNITIO DEI IMPERFECTA.

46. Adventante aurorâ filius Dei dimitti voluit à Jacobo, quô cum noctu fuerat luctatus, Gen. 23. v. 26. Ita nobiscum per verbum, tanquam noctu (respectu vitæ & cognitionis futuræ) luctatur Deus. Fides enim nihil, nisi lucta est. 1. Tim. 6. v. 12. Hebr. 12. v. 1. Revelatio demùn plenatempore sita auroræ in extremo iudicio. Nobis jam nox, Sole nostro Christo in celi hemisphærio (non Empyreo illo, sed majestatis suæ) velut versante, cum visibili nos præsentia (ordinariè) destituat, claritatem cognitionis occultante, quam in die judicii plenissime revelabit, 1. Joh. 3. v. 2. Col. 3. v. 4. Hac illuciente aurorâ, lucta fidei cessabit, in rem præsentem ductis piis, defacie ad faciem Dominum intuentibus, 1. Cor. 13. v. 12. 1. Joh. 3. v. 2.

COGNITIONIS DEI AUTOR.

ipse Deus 1. Sam. 3. v. 7.

47. Samuel nesciebat Dominum, antequam Dominus seipse revelaret: Figura cæcitatris nostræ spiritualis, Apoc. 3. v. 18. 1. Cor. 2. v. 14. Cujus culpâ fit, ut Dominum nesciamus, nisi ipse salutarem suæ cognitionis facem alluceat primus, quæ est æterna vita, Joh. 17. v. 3. radix vitæ, Sap. 15. v. 3. Justificatio nostri, Esa. 53. v. 11. Hanc cognitionem ipse largitur, Matt. 11. v. 27. In hoc lumine lumen videmus, P̄sal. 36. v. 10. cum se patefacit,

cit, lucem in accessam inhabitans, 1. Tim. 6. v. 16. Ut nemo solem, nisi sole lucente, videt: Ita nemo Deum dicit, nisi Deo docente, ducente.

COGNITIO DEI IMPERFECTA.

48. *Noa fenestram in arca fecit, Gen. 6. v. 6.* Salomo in Templo, 1. Reg. 6. v. 4. Fenestræ hæ sunt sacræ scripturæ, quas cœlestis Noa, Salomon in arca & templo Ecclesiæ fecit: Per has Deum velut per fenestras in hac vita contemplamur, 1. Cor. 13. v. 12. Donec eundem videamus de facie ad faciem, & sicuti est, 1. Joh. 3. v. 3. per has fenestras lux salvificæ cognitionis Dei animabus nostris illabitur.

49. *Cant. 2. v. 9. Sponsus Spiritualis per cancellos Sponsam aspicit.* Fidei hic est asperitus in hac vita, ubi non de facie, sed in ænigmate solum, & velut per cancellos, cum Sponso Spirituali loquimur. *Intelletus enim obscurati Ephes. 4. v. 18. cancellis sequestramur,* (sicut reti, quale Moses fecit. Exod. 38. v. 4.) à penitiori cognitione Dei, quæ alterius sæculi, 1. Cor. 13. v. 9. *Moses cancellos fecit ad altare pertingentes Exod. 27. v. 5.* Altare nostrum Christus, Hebr. 13. v. 10. in altera vita conspicuum fiet: Ad hunc usque ergo cancelli hi cognitionis extenti, Joh. 17. v. 3. Esa. 53. v. 11.

50. *Esa. 6. v. 4. Fumus implevit Domini demum, Vate gloriam ejus vidente.* Domus Ecclesia est. 1. Tim. 3. v. 15. Videmus & in hac domo gloriam Dei, sed per fidem & spem. Tenebris obscuræ cognitionis & nebulâ temptationis multis modis impliciti sumus: unde ex parte tantum cognoscimus, 1. Cor. 13. v. 12. donec sol justitiæ ille Malach. 4. v. 2. nebulas has jubare suo discutiat, qui est Patris splendor, Hebr. 1. v. 3. longè auctior Mosis illo Exod. 34. v. 29. Luc. 9. v. 29. 2. Cor. 3. v. 18.

51. Por-

51. *Porta Templi sex diebus claudenda: Diebus autem Sabbathi & Neomeniarum aperienda erat Ezech. 46. v.1. Porta hæc clausa imperfectam divinorum Mysteriorum cognitionem notat; Hæc est hujus vitæ h. e. sex diebus clauditur; At, ubi Sabbathum æternum illud ingruerit, Esa. 66. v.22. & neomenia, quæ Lunæ Ecclesie cum Sole justitiæ Christo, fiet coniunctio, porta illa cognitionis non amplius clausa erit, aperta erit omnibus piis, Dominum de facie ad faciem intuituris, 1. Cor. 13. v.12. 1. Joh. 3. v.4.*

ARTICVLVS 11.

DE DEO, MYSTERIO S. TRINITATIS,
variis Attributis.

MYSTERIVM TRINITATIS MIRANDUM, non rimandum.

52. *Cum vox fieret super firmamentum, steterunt Cherubim, & alas suas submisserunt Ezech. 1. v. 25. Vox S. Trinitatis super firmamentum facta est, cum se in baptismo Christi clarissime patefecit, Matth. 3. Pii sint quidem Cherubim, remigio fidei ad tam sublime mysterium contendentes, sed tamen stare debent, hoc est, mirari magis hoc mysterium, quam scrutari, & alas humanæ rationis demittere, 1. Corinth. 2. v.14. 2. Corinth. 10.*

53. *Esa. 6. v.2. Seraphim duabus alis volabant, quatuor vero se tegebant, faciem, pedes, cum gloriam Domini viderent & regnorum canerent. Si nos gloriam hujus mysterii (Trinitatis scilicet) videre volumus, facies & oculos nostros obvalemus, qui nequeunt in hac æquitate introspicere; & pedes nostros tegamus; impervestigabilis enim est hujus mysterii sublimitas. Fidei alis nos subvehamus! ejus remigio torrentem illum Ezech. 47. v.34. trancimus.*

54. Joh.

54. Joh. 4. v. 11. *Mulier Samaritana Christo dicebat: putens profundus est, nec est, quo haurias: Invertamus ad nostrum institutum, dicentes, mysterium S. Trinitatis est putens, & quidem aquarum viventium; (nemo enim salvatur, nisi qui hoc mysterium crediderit:) sed est valde profundus, nobis nihil est, quo haurire aliquid possumus.*

DEUS OMNIUM BONORUM

autor.

55. *Ex mari exeunt flumina & ad idem revertuntur, Eccles. 1. v. 7. Deus est inexhaustum mare, bonitatis magnæ, Nhem. 9. v. 25. Omnia impletis. Ps. 104. v. 28. Divitis, Rom. 2. v. 4. Hoc nobis solatio est, contra misericarum mare, Thren. 2. v. 13. Exeunt ex hoc mari flumina bonitatis, quæ sicut flumina Paradisum omnes status fecundant Chori, bonis spiritualibus, 1. Cor. 1. v. 9. Fori, bonis politicis, 1. Tim. 2. v. 2. Pl. 85. v. 10. Thori, bonis Oeconomicis Psal. 128. Omnes hos bonis suis inebriat, Psal. 36. v. 9. Flumina autem hæc ad mare, Deum scilicet, reverti debent, quod fit, si omnia ad gloriam Dei referamus, 1. Cor. 10. v. 31. Dei largitatem agnoscamus, Esa. 1. v. 2. Ose. 2. v. 8. 1. Cor. 4. v. 7. in choro, foro, thoro.*

BENEDICTIO DEI

dicat absque labore.

56. *Fratribus Josephi insciis & nil tale cogitantibus, pecunia redditia est in sacco, Gen. 42. v. 25. Illa benedictio sine laboribus contigit fratribus Josephi: Fratres ut simus cœlestis Josephi operam demus: Via non difficilis est ad tam sublimis cognitionis honorem, Domino se ostendente viam, Joh. 14. v. 6. monstrante Matth. 12. vers. 49. Fratres mei facientes voluntatem Patris moi. At in sacco receperunt benedictionem.*

Ille

Ille notat animum pœnitentem. Igitur cum facco humilitatis ad Christum contendere, cum Petro procide, **Luc. 5. v. 8.** benedictionem accipe. **Psal. 128. v. 4.**

BENEDICTIO DEI DIVITES

facit: Ros est; Maledictio pauperes reddit.

57. Hag. 1. v. 5. *In sacrum pertusum Iudei as ponebant; arcæ impiorum sunt sacci pertusi, quibus omnis copia inopia, Deut. 28. v. 18.* Piorum autem copia res est. **Gen. 27. v. 28.** *Mane in castris Israelitarum ros jacunt.* Dies judicii piorum *mane est* cum ros ille Dei, **Esa. 26. v. 19.** revirefecet. Post æstum ros levat ardorem. **Syr. 43. v. 24.** *cap. 18. v. 16.* Ita Deus, crucis æstum rore æternæ lœtitiae mitigabit. **Rom. 8. v. 18.** **2. Cor. 4. v. 17.** **Esa. 35. v. 10.** Hoc rore caput plenum ejus est. **Cant. 5. v. 2.** Christi scilicet, in quo gaudebimus **Joh. 16. v. 20.** **21.** In omnia ergo membra destillabit plenissimè, hic saltem inchoative, **Ose. 6. v. 4.** statim enim rorem solatii exsiccat crucis æstus; At nullus æstus in altera vita in pios cadet, **Apoc. 7. v. 14.** ergò ros ille solatii & benedictionis in solidum pios manebit.

DILECTIONIS DEI CAUSA.

58. Ignis Domini est in Sion: Caminus ejus in Jerusalem, **Esa. 31. v. 9.** Deus ipse est ignis, dilectione ardens, qui hujus scintillas **Rom. 5. v. 5.** in Ecclesiam velut caminum **Ezech. 46. v. 23.** diffundit. In hac enim vita ex parte saltem amamus, in altera ignis ille se totum nobis communicabit. Hoc Ezech. in typomonstrat: **Ezech. 46. v. 23.** Ubi Vati monstrata fuit domus culinarum: Vera domus illa in coelo erit piis, ubi pleno dilectionis igne ardebut. In hoc mundo, ut ex parte cognoscimus; ita ex parte amamus Deum: Amor sequitur cognitionem.

DE-

DEUS OSSA NOSTRA
conservat.

59. 2. Sam. 21. v. 12. *Ossa Jonathanis translulit ad se David eaque inhumari honeste curavit; cœlesti Davidi pii omnes sunt veri Jonathanes, quos ille sincere diligit Joh. 13. v. 1. cap. 15. v. 12.* Horum ossa ille diligenter custodit, Psalm. 34. v. 21. Et sicut corpus hominis ex ossibus & nervis compegit, Job. 10. v. 11. Sic ossa etiam arida rursum animabit, Ezech. 37. v. 5. & germinare faciet, Esa. 66. v. 14. ros enim ipsius ros viridis est, Esa. 26. v. 19. 1. Cor. 15. v. 53.

DEUS MALORUM CONA-
TUS COERCET.

60. Job. 26. v. 10. *Tenebris tempus posuit, donec illæ transeant:* hæ sunt crucis tenebrae, solatii lucem cri-
pientes, Esa. 38. v. 17. Psalm. 94. v. 19. quibus Deus tempus ponit, 1. Illas tandem pellendo, 2. Sam. 22. v. 29.
2. *Lucem solatii inferendo:* Psalm. 112. v. 4. Mich. 7.
v. 8. Tob. 3. v. 23. 3. In tenebris sedentes pascendo, Esa.
49. v. 9. 4. Holtes vindicando, tandem æternis coste-
nebris premendo, Nahum. 1. v. 8. detrudendo, Matth. 8.
v. 12. ut Ægyptios, Exod. 10. v. 22. 5. *Ad opportunum
tempus liberando,* 1. Corinth. 10. 13. 2. Pet. 2. vers. 9.
Job. 5. v. 19.

BENEDICTIO DEI

ros est.

61. Job. 29. v. 19. *Ros manebit in messione justi:*
Ros est divina benedictio, pii promissa, Deut. 28. v. 1.
seqq. 1. Timoth. 4. v. 8. quæ cum in hac vita, tum in al-
tera eos plenissime sequitur, Matth. 25. v. 34. in quâ erit messio, 1. Dei, qui colliget frumentum & triticum suum, Matth. 3. v. 12. cap. 13. v. 30. 2. Pii, qui colliget gaudi-
um suum, Ps. 126. v. 5.

C

DEUS

DE

CAPUT II.

DEUS CUSTODIT PIOS.

62. *Vt aquila pullos suos gestat super alas: Deut. 32. v. 11.* Ita Deus nos protegit & gestat sub præsidio alarum. *Psal. 91. v. 1.* Et velut aquila animal *velocissimum*; Ita Deus ad auxilium, *Psal. 45. v. 6.* auxilium ejus in propinquio est timentibus Dominum, *Ps. 85. v. 10.* Hoc defensore tuti sumus, nec timemus, *Psal. 3. v. 7.* Aquila pullis nulla avis rapax nocere potest. Piis, cum supra alas portentur aquilæ cœlestis, quam nemo volatu transcendit nemo nocere potest. *I. Pet. 3. v. 13.* *Quis est, qui vobis nocere queat?* Et velut aquila educit pullos suos ad volandum: *Ita educit & nos Deus ad volandum*, è matris utero, velut nido egressos, ut nostrâ culpâ, in hac vita, velut aëre volemus: *Joh. 5. v. 7.* sed tamen expandit supernos alas, curam nostri gerens, nec cadere nos sinens, *Psal. 37. v. 24.* Modò manus nostras expandamus ad Dominum, cum Davide, *Ps. 88. v. 10. Ps. 143. v. 6.* Funes frustra nobis inimicistendentibus, *Ps. 140. v. 5. 6.*

DEI FOEDUS FIRMIUM.

63. *Num. 18. v. 19.* 2. *Chron. 13. v. 5.* *Fœdus salis perpetuum est coram Domino.* Dei fœdus, est fœdus salis, hoc est, imputribile. Est enim fœderis sui Deus tenacissimus, *Dan. 9. v. 4.* 2. *Cor. 6. v. 14.* At homines sæpius prævaricantur paetum Domini, *Ezech. 2. v. 3.* sicut Adam. *Ose. 6. v. 7.* & violent, *Malach. 2. v. 10.* Væ autem, qui fœdus frangunt; hos ultricigladio Dominus visitabit, *Levit. 26. v. 25.* conf. *Job. 19. v. 29.* bonam conscientiam perdent, cuius fœdus cum Deo pepigerunt, *I. Pet. 3. v. 21.* Hi sunt putres pisces, ex sagenaprojiciendi, *Matth. 13. v. 48.* sale constantia non conditi. Hujus fœderis constantissima fides piis solatio est, *Exod. 34. v. 10.* *Levit. 26. v. 9.* *Deut. 4. v. 31.* ob fœderis *I. pati finc-*

Dominus

sinceritatem. David foedus cum Jonathano pepigit.
 1. Sam. 20. v. 16. hoc exul maximè gavisus est: Nos multò
 magis foedere Dei gaudebimus, non juramento solum,
 sed & filii Dei sanguine pacto. 2. *Ob constantiam*, Ps. 89.
 v. 29. Psal. 105. v. 8. 3. *Ob eternitatem*, Esa. 24. v. 5. 4. *Ob*
novitatem, Jer. 31. v. 31. novum foedus nova gratia acce-
 ptiuum.

GRATIA DIVINA EST

Aqua.

64. Esa. 12. v. 3. Haurietis aquas cum gaudio: quæ
 aqua gaudemus, nisi Dei gratia, quæ vera aqua (hausta
 ex fonte Christo, Joh. 1. v. 16.) 1. *Ob refrigerationem.*
 Aqua refrigerat: Ita divina gratia refrigerat corda, Esa.
 30. v. 20. Hanc gratiam petamus cum Davide, Psal. 119.
 v. 41. & v. 76. Hæc gratia piorum corona, Psal. 103. v. 4.
 & refrigerium in æstu crucis, quo Paulus sustentatus est,
 2. Cor. 12. v. 9. & protoplasti experti sunt, Gen. 3. v. 8.
 gratiæ hujus refrigerium in æstu crucis.

2. *Conjunctionem.* Aqua enim conjungit diversa
 corpora: Ita gratia diversa corda, ut unum fiant, Actor.
 4. v. 32. cor credentium unum, Eph. 4. v. 4. unus Spiritus,
 una fides. Hæc gratia Paulum & Christum conju-
 nit, antea divisos & hostes, 1. Timoth. 1. v. 13. (conf. de
 hac gratia, 2. Corinth. 12. v. 9.) Ita ut Paulus in Christo
 vixerit, Galat. 2. vers. 20. Omnes pii in Christo vivant,
 Gal. 2.

3. *Viroris conservationem:* Planta absque aqua
 aret; Ita cor hominis absque gratia Dei aret, quæ sola
 nos virere facit, Ose. 14. v. 9. Cum anima nostra sit
 velut terra arida, Psal. 143. v. 7. ad prata virentia gratiæ
 suæ in verbo nos ducit Dominus, Psal. 23. v. 2. ut virentes
 oleæ maneamus, Ps. 52. v. 9. ut palmæ, Psal. 92. v. 13.
 14. 15. Proverb. 11. v. 18. pii sunt lectus ille Dei virens,

C 2

Can-

CAPUT II.

Cantic. i. v. 16. in eorum enim cordibus Deus quiescit,
ut lecto suo suavissimo, Esa. 57. v. 15. cap. 66. v. 2.

4. *Destructionem*. Aqua impetu suo diruit obvia
quæque, Matth. 7. v. 25. Ita aqua gratiæ in anima mon-
tes superbiæ destruit, & propriæ confidentiæ, 1. Cor. 3.
v. 10. cap. 15. v. 10. Hanc gratiam prædicant pii, ex
Eph. 1. v. 6.

5. *Repletionem*: Ut enim aqua replet subiecta cor-
pora: Ita gratia Dei animam virtutibus replet. Gratia
Dei non est inanis, 2. Cor. 12. v. 9. Replet fructibus
justitiæ, Phil. 1. v. 11. Eph. 3. v. 19. Coloss. 1. v. 9. piorum
corda.

GRATIA DEI COMPARATUR
pinguedini.

65. Pinguia 1. maximè nutriunt corpus. 2. Ea-
dem sibi Dominus offerri voluit, Exod. 29. v. 13. Gra-
tia Dei & Verbum ipsius optimum animæ sunt nutri-
mentum, optimus cibus, Esa. 55. v. 2. *Anima nostra*
impinguabitur. Hoc est pingue illud epulum, Esa. 25.
v. 6. Hac spirituali gratiæ pinguedine in regno gra-
tiæ *vestigia Dei* stillant, Psal. 65. v. 12. quâ saturamur. In
alterâ vitâ, ut terrâ pingui, saturabimur plenè, ut typus,
Nehem. 9. v. 25. *Israelia* ceperunt urbes munitas &
humum pinguem, &c. In altera vita capiemus urbem
celi munitissimam, Apoc. 21. v. 10. & humum pinguis-
simam, hoc est, cœlestibus delitiis circumfluemus,
Psal. 16. v. ult.

IRA DEI COMPARATUR
incendio.

66. Psalm. 18. v. 9. Ascendit fumus in ira ejus: In-
cendium Mysticum est: ubifimus, ibi ignis. Ut autem
incendium tripliciter cognoscitur. 1. *Ex aliorum ser-
mone*. 2. *Campanarum sono*. 3. *Ipsorum fumo & flammis*

erum-

erumpentibus: Ita etiamira Dei cognoscitur, 1. *Ex sermone Prophetarum*, qui passim divinæ iræ præcones sunt in scriptis. 2. *Verbi prædicatione quotidiana*, quæ est inter campanæ, Dei iram propalantis, Psal. 90, 7. 3. *Ipsis pœnis & calamitatibus*; Hæ enim sunt ipsius iræ divinæ fumus & flammæ: Unde Jer. 4. v. 4. minatur Dominus, *se ignem inextinguibilem succensurum esse*, Confer. Esa. 9. v. 18, Deut. 29. v. 20.

POENÆ DEI TARDÆ

graviores.

67. *Arcus, quanto longius chorda trahitur, tanto vehementius sagittam propellit*: Ita Dei pœnæ tantò graviores, quanto majori cum mora conjunctæ, Esa. 47. v. 3. conf. Psal. 7. v. 13. Psal. 50. v. 22.

DEI JUDICIA OBSCURA.

68. Job. 26. v. 9. *dicitur nebulam expandere super solium suum Deus*. Nebula obscuritatem significat & tristitiam, Sophon. 1. v. 15. Utramque expandit Deus super solium suum, quando ipsius judicia, quæ per solium significantur, (conf. Psal. 9. v. 8. Psal. 97. v. 2.) nobis obscura sunt, ut exclamare habeamus necessum: O altitudo! Rom. 11. v. 33. & carni perversæ ingrata; cum tamen piis omnia in bonum cedere debeant, Rom. 8. v. 28. Tristia sunt Dei judicia, in quæ intrare non possumus, Job. 9. v. 32. cap. 14. v. 4. ideoque illa deprecamur, Psal. 143. v. 2. ut terribilia, Tob. 3. v. 5. magna, Sap. 17. v. 1. cap. 6. justa, Apoc. 19. v. 2. Hanc nebulam judiciorum Dei, non nisi face verbi adhibitâ, superamus, Psal. 73. v. 16. 17. Psal. 119. v. 105.

IRA DEI LENTA, SED

tandem violenta.

69. Hos. 5. v. 12. *Ero tanquam tinea Ephraim, & tanquam putredo domus Iuda*, 1. Tineæ & teredines

C 3

pau-

paulatim consumunt vestes, Job. 13. v. 28. Psal. 39. v. 15.
 Sic ira Dei paulatim devastat homines, Psal. 90. v. 7. qui
 Deum instar tineæ habent, negliguntque. 2. In ipsis ve-
 stibus & lignis tineæ & teredines sunt: Ita tota culpa in
 nobis est, cum Deus nos velut in ea consumit, Ose. 13.
 v. 9. Sir. 19. v. 3. *Quæ scorto adharent, tineis corrumpuntur.* Spiritualiter scortantur, qui à Domino defi-
 ciunt; deficientes ira Dei, ut tinea, consumet, Psal. 73.
 v. 27. Psal. 106. v. 39. Ose. 9. v. 1. cap. 5. v. 3. 4. Hoc per-
 pendas o homo, Job. 25. v. 6. & veros thesauros in Dei
 gratia quæras, Matth. 6. v. 20.

DEUS MISERICORDIÆ SUÆ MEMOR.

70. Ramum olivæ columba in arcam tulit, quam
 aquarum diluvii fructus tollere non potuerunt, Gen. 8.
 v. 11. Ramus ille divinam misericordiam significare
 potest, quæ in mediis iræ justissimæ fluctibus manet,
 Habac. 3. v. 2. in qua sola requiescit pes noster; aliâs
 coram illa stare non possumus, Psal. 130. v. 3. Quocirca
 Deus non agit nobiscum secundum peccata nostra,
 Psal. 103. v. 10. in ira misericordia sue memor est, Ha-
 bac. 3. v. 2. Ira ipsius momento oculi durat, Psal. 30. v. 6.
 Non ex corde homines plagis cedit, Thren. 3. v. 33.
 Opus alienum facit castigando, ut suum faciat emen-
 dando, Esa. 28. v. 21. *Columba attulit in arcam;* Christus
 vera columba ramum olivæ, hoc est, misericordiæ,
 in Ecclesiam intulit, Joh. 1. v. 17. *Lex per Mosen da-
 ta: Gratia & veritas per Christum Jesum.* Ramum au-
 tem misericordiæ solum accipimus; Integræ enim
 misericordiæ divinæ arborem in altera vita videbimus,
 re possessuri, ex arca Ecclesiæ militantis dimissi, ex
 fluctibus misericiarum erexit, non exspectantes, sed
 jam contemplantes, in celo regnantes, misericordias
 Domini in æternum cantantes. *In ore gessit columba
 ramum olivæ, non unguibus:* quô significatum, sonare
 in

in hac vita prædicationem divinæ misericordiæ, quarum illa per os significatur, in alteram vitam rejici plenariam ejus exhibitionem. Hanc moram significavit mora illa septidui. vid. d.l. v.11. Septem scilicet vita nostra diebus liberatio nobis expectanda est.

PECCATORUM INTERITU

non delectatur Jehovah.

71. Ose. 11. v. 8. *Quid faciam tibi Ephraim:* Misericordiæ enim dixitias omnes contulerat in hunc populum; omnes miserationes spreverat hic populus. Anne indignationem & iram meritò effudisset in eum? sed non permisit misericordia, quæ adhuc penitentiam expectavit. Non spernamus igitur longanimitatem Dei, Rom. 2. v. 4. quâ ille nos gubernat. Sap. 12. v. 18. quâ poenitentiam expectat, relinquit. 2. Pet. 3. v. 9.

DEI MISERICORDIA EST OLEUM.

72. 1. *Ratione faciei exhilarationis.* Oleum faciem exhilarat, quando optimum alimentum præbet: Ps. 104. v. 16. Ita misericordia Dei per fidem ad nutrimentum animæ assumpta, exhilarat facies nostras & corda, Psal. 4. v. 8. Ps. 73. v. 28. Sicut contra facies deficit sensu iræ Dei, Psal. 38. v. 11. Ps. 6. v. 8.

2. *Lucis.* Oleum est lucis pabulum: Ita misericordia Dei in peccati tenebris lucem nobis præbet ad veram lucem Christum, Mich. 7. v. 8. Ps. 27. v. 1. In crucis tenebris misericordia solatum præstat. Tob. 8. v. 18. Gen. 32. v. 10. Ps. 23. v. 6. Neh. 9. v. 19. Huic oleo misericordiæ linum fumigans fidei Es. 42. v. 3. conjungendum, & Spiritus sanctus accendet illud, ut fiat lucerna.

3. *Mystica significationis.* Oleum enim reges, Prophetæ & Sacerdotes inaugurandi ungebantur: Reges & Prophetæ, 1. Sam. 10. v. 1. Sacerdotes, Exod. 29. v. 24. Ita nos oleum misericordiæ reges & Sacerdotes, Prophetæ

C 4 uncti,

uncti, Apoc. I. v. 6. Luc. I. v. 78. I. Pet. 2. vers. 9.
Psalms. 23.

4. *Conspersionis*: Oleo sacrificia consperguntur; Lev. 2. v. 15. Ita sacrificia nostra oleo misericordiae consperguntur; cum a Deo gratis acceptantur, in Christo, Rom. 5. v. 15.

5. *Pinguedinis*. Ut enim oleum pingues reddit homines; Ita misericordia Dei, velut spirituali pingueſcimus oleo. Psalm. 23. & pingue convivium nobis in cena instruxit, Esa. 25. v. 6. & in verbo suo.

6. *Penetrationis*, Psal. 109. vers. 18. Oleum penetrat ossa; Ita misericordiae divinæ sensus ossa ipsa penetrat, unde David, Psal. 51. v. 10. Exultent ossa, quæ confregisti, nempe oleo gratiae. Hoc oleo nos unxit Dominus, Ezech. 16. v. 9. *Unxi te oleo*.

7. *Mollitionis*. Oleum vulnera emollit. Esa. I. v. 6. Ita misericordiae divinæ oleum vulnera peccati, Psal. 51. v. 2. mollit, nosque in Christo emundat. I. Joh. I. v. 7. *Sanguis Jesu Christi emundat nos ab omni peccato*. Leprosi oleo ungabantur mundandi. Lev. 14. v. 17. Spirituales leprosi sunt peccatores, oleo misericordiae per Christum mundandi & purificandi. *Hoc oleo ad spiritualem vitam opus habemus*, Syr. 39. v. 31.

8. *Supernationis*. Oleum in aqua deprimi non potest, sed semper petit superficiem; Ita misericordia Dei, in sece, peccatorum nostrorum aqua nunquam potest deprimi, sed semper exilit & ad servandum prompta, Ose. 11. v. 8. Conf. Jerem. 3. v. 1. ubi ostenditur, quo pacto misericordia Domini semper supernaret.

9. *Negata congelationis*. Oleum frigore non congeſcit: Ita misericordiae divinæ ignis semper exæstuat, nunquam congeſcit, sed singulis manæ innovatur, Thren. 3. v. 23. & corda nostra calida reddit, Luc. 24. vers. 32. Mi-

MISERICORDIA DEI

peccatores recipiens.

73. *Luc. 15. v. 20.* *Pater accurrit ad filium prodigum, quem à longè conspexerat, misericordiam movet, colloque irruerat: Hæc est divina misericordia, quæ peccatores complectitur resipiscentes, ut etiam cursu divinæ gratiæ nos antevertat Dominus. Jerem. 31. v. 18. Sic Paulum, Actor. 9. apprendo, 1. Tim. 1. v. 16. Petrum præmonendo, & aspiciendo, Matth. 26. v. 75. Misericordia Dei invitans. Abas verus sarrapis suis lautissimum convivium fecit, Esther. 1. v. 3. Hiskias ad Pascha, 2. Chron. 30. v. 1. suos invitavit subditos: Ita Deus ad misericordiæ epulum, Esa. 22. v. 6. invitat homines. Multo majus misericordiæ argumentum quam Hamanis, Esther. 5. v. 12. ad epulum regium admissi. In collum autem tunc ruit pater ille misericordiarum, cum manus ad amplectendum extendit, Esa. 65. v. 2. Proverb. 1. v. 24. alas ad colligendum expandit, Matth. 23. v. 37. *Luc. 7. v. 30.**

LONGANIMITAS DEI.

74. *Exod. 9. v. 5.* *In crastinum minatur vindictam pestilentia, v. 18. grandinis, locustæ, cap. 10. v. 4.* Hæc est Domini misericordia. *Sap. 12. v. 18.* crastinum expectans, ut nostræ penitentiæ supersit Hodie, *Psal. 95. v. 8.* Hebr. 3. v. 7. Ita primo mundo, Gen. 6. v. 3. in crastinum concessit centum & viginti annos; Nini-vitis tempus penitentiæ concessit: *Jonæ 3. v. 4.* quadraginta dies, conceditque etiamnum, *2. Pet. 3. v. 9.* Hæc est illa longanimitas, toties decantata in Scripturis. *Exod. 34. v. 6. 7.* *Joel. 2. v. 13.* *Psal. 103. v. 8.* *Psal. 106. v. 6. & 8.* & pulcherrimâ similitudine à Christo illustrata. *Luc. 13. v. 6. seq.* *Esa. 5. v. 1. seq.* *Quid ultra faciam vineæ meæ?*

CAPUT II.

MISERICORDIA & JUSTITIA

conunctæ.

75. *Vbera sponsi vino & unguentis fragrantia dicuntur.* Cantic. i. v. 2. Vinum Dei justitiam, unguenta misericordiam notant. Illud peccatorum vulnera eluit, Luc. 10. v. 34. Hac eadem inungit, sanatque Psal. 6. v. 3. Utrumque ex uberibus Sponsi promanat. Bene Veteres: DEUS sagittas justitiae acuit oleo misericordia.

DEUS VERE PATER.

76. 1. *Nomine:* dicitur Pater à πατήρι quasi conservans liberos: Græci etymol. Sic Deus Psal. 16. v. 1. Psal. 37. v. 28. Psal. 97. v. 10. Prov. 2. v. 8. Intentat frāudes Saul infernalis, gressus nostros custodiat, ut Psal. 59. v. 1. Deus tamen Pater noster nos custodit, Job. 1. v. 10. ex ipsa Satana confessione, Prov. 2. v. 8. Deus servat semitas justitiae & vias sanctorum custodit.

2. *Creatione.* Deut. 32. v. 6. Esa. 64. v. 8. Jerem. 3. v. 9. Malach. 2. v. 10. Act. 17. v. 26. ut patres terreni dicuntur generatione.

3. *Miseratione & dilectione.* Nam pater filiorum miseretur, inque eis ipsi complacitum est. Sic etiam Deus miseretur filiorum, Psalm. 103. v. 13. Delitiae ejus apud homines sunt, Prov. 8. v. 31. scit indigentiam nostram, Matth. 6. v. 32. Orationes nostras benignè exaudit. Luke 6. v. 15.

4. *Institutione & nutritione.* Ita enim & Deus nos instituit in domo Ecclesia suæ. 1. Tim. 3. v. 15. & nutrit lacte spirituali Evangelii, 1. Cor. 3. v. 2. & beneficiis corporalibus nos affatim cumulat, Act. 14. v. 17.

5. *Defensione.* Patrum est filios defendere; sic Deus nos defendit à Satana, quia animas nostras querit devorare. Psal. 32. v. 7. Psal. 91. v. 1. Syr. 34. v. 19.

6. Ca-

6. *Castigatione.* Sic Deus nos castigat filios, quos diligit: Apoc.3.v.19. Heb.12.v.6. seq. Pial.94.v.12. Esa. 26.v.16. Jer.46.v.28. Habac.1.v.12. Tob.11.v.17. Hiob. 5.v.17.

Prerogativa & eminentia. Pater quidem Deus, sed excellentissimus est pater. Est enim pater cœli & terræ, Matth.11.v.25. omnipotens, Marc.14.v.36. omni misericordia abundans, 2.Cor.1.v.3. Magna patris terreni miseria, matris magna, Prov.31,2. 2.Sam.18.v.33. Esa. 49.v.15. At sæpè nos destituunt pater, mater, Psal.27. v.10. Pater & mater derelinquent me; Nunquam nos destituet verus ille cœlestis Pater, Esa.64.v.6. consolans nos, ut mater, Esa.64.v.13. in utero misericordia sua nosportans, Esa.46.v.3.4. in sinu gratiæ fovens, lachrymas nostras abstergens.

MISERICORDIA DEI PECCATA

teguntur, irâ reteguntur.

77. *Nube in tabernaculo apparente Mirjam leprosa non videbatur: recedente eâdem lepra manifestabatur.* Num.12.v.10. Sic misericordia Dei spiritualis peccati lepra tegitur, Ps.32.v.1. Ps.85.v.3. Eâdem recedente retegitur. Hæc est nuditas spiritualis, Apoc.3.v.18. Ezech.16.v.37. Apoc.16.v.15. Hanc Adamus, post perpetratum peccatum, nuditatem agnoscit, Gen.3.v.7. quæ tunc apparet, cum vultum gratiosum Deus subtrahit, legis vulnera immittit.

OPERA TENEBRARUM

Deus odit.

78. *Noctua esum in lege Dominus prohibuerat,* Lev. 11.v.16. ut significaret, 1. Opera tenebrarum sibi displicere, sive ea sint *circa fidem*, & sic hæretici sunt noctua, (Ambros. in Malach.) qui non nisi noctu vident, sole Christo in verbis splendente, cæcutiunt: si

ve

ve circa vitam & mores, ut sunt omnis generis peccata, quæ alias opera tenebrarum appellantur, Eph. 5.v.11.12. Noctua voce aves allicere dicitur. Aelian. de proprietate animalium. Sic impii in peccati societatem multos pertrahere student, Esa. 5.v.18. Prov. 4.v.14. 3. Noctua autem de die ridicula est & gesticularix coram reliquis avibus: Sic peccatores in die gratiæ ludicra tractant & temporalibus gesticulantur, Sap. 5.v.6. Caveamus ergo, ne simus ejusmodi noctua tenebras sectantes; sed ad veram lucem convertamur, quæ nobis splendet, Rom. 13.v.12. 2. Cor. 6.v.2.

DEUS EST MURUS IGNEUS

piorum.

79. Zach. 2.v.5. *Ero murus igneus in circuitu eorum.* Duo de Deo dicuntur. 1. *Quod sit murus.*

1. *Ob soliditatem.* Murus benè exstructus spernit arietes; Ita nomen Domini est turris fortissima, Refugium tutissimum, Psal. 46.v.1. Prov. 18.v.10. Spernit arietes hostium, consilia populorum, Psal. 2.v.2. fluctus aquarum, Psal. 46.v.4. tumultus adversariorum, Psal. 76.v.11. Esa. 25.v.4.

2. *Telorum receptionem.* Murum cum tela pertinet hostium, ipsos cives petere censentur: Sic injuria piis illatae ipsi Christo imputantur, Act. 9.v.5. Zach. 2.v.8. Esa. 63.v.9.

3. *Igneus autem dicitur 1. Ob ira vehementiam:* confessim ignis Domini vindictam exercet, Act. 12.v.23. Hunc murum, qui tangit, manus urit.

2. *Ob Angelorum obsequentium copiam,* qui in muri Ecclesiæ ignei apparent, ut 2. Reg. 6.v.17.

3. *Defensionem.* David & milites ejus, pastoribus Nabalis in deserto pro muro fuerant, 1. Samuel. 25.v.16. Christus verus David, cum militibus angelis in deser-

to

to hujus mundi, nobis pro muro est adversum hostis
infidias; cui si quis hostili animâ appropinquit, facile
expellitur: Ita quoque muros transilire possumus cum
Deo nostro, 2.Sam.22.v.30. qui cum in cordibus no-
stris habitat, pax est in muris *cordium nostrorum allegor.*
Psal.122. v. 7. Ipsique prius sunt in star muri immobiles,
cum in Deo pacem inveniunt, Cantic.8.v.10. Eorum
enim arma & muri sunt salus, Esa.26.v.1.

MISERICORDIA DEI OMNIUM bonorum fons.

80. Psalm.89.v.3. *Misericordia ædificata in cœlis*
dicitur. Solus ergo Deus illam ædificavit in gloriam
sui, Ephes.1.v.6. Apoc.5.v.12. ne quis glorietur, ante
mundi fundamenta. Ædificavit misericordiam in fun-
damentum Christum, 1.Cor.3.v.11. Extra quem nulla
misericordia, quia solus in gratiâ fuit, Rom.5.v.15. per
hunc Deo appropinquamus, Eph.2.v.13. *Inter arcam*
& *Israelitas spaciū erat 2000. cubitorum,* Ios.3.v.4.
At nullum jam amplius inter nos & Deum, deletis pec-
catis, spatiū. Omnes enim ad se trahere vult, Joh.12.
v.32. Hæc misericordia, in cœlis exstructa: nemo in
terra eam extrudere potuit, qui non misericordiā, sed
flagellis digni erant.

DEUS PATIENS ERGA peccatores.

81. *Jacob filuit injuriam Sichem, donec fratres Dinae*
rure reverterentur, Gen.34.5. Ita Deus injurias sibi suis
que illatas ad tempus silentio velut involvit, Ps.50.21. Ps.
8.2. Psal.35.9. sed tandem poenam infligit, quando diu
penitentiam expectavit, Rom.2.v.5. Ps.50.v.22. 1.Petr.
3.v.9. Orat. Manass. v.6. Ettunc in ira loquetur inimi-
cis suis, Psalm.2.v.5. num verbaliter? Non, sed reali-
ter:

*ter: In furore namque suo Dominus eos conturbabit, ut
vasa de decoris confringeret, d.l. v.9. Ps.2.*

DEUS EST TURRIS

& Pax.

82. Psal. 61. v. 4. *Fa^tlus es mihi spes, turris fortitudinis à facie inimici.* Dicitur autem Jechovah Turris, ratione 1. *Propugnationis.* Ut enim turres sunt optima propugnacula civitatum, Judic. 9. 2. Chron. 26. v. 9. Ita Deus est nostrum propugnaculum, Psal. 32. v. 7. Sir. 34. v. 19. Psal. 91. v. 1. Sap. 10. v. 18. 2. Sam. 22. v. 3. Ps. 9. v. 10. Psal. 46. v. 8. Hæc est vera petra, quæ propugnaculum erit, Esa. 33. v. 16.

2. *Speculationis.* E turribus enim hostium adventum speculamur, providemusque: Ita Deus pro nobis, ut vigil in turri, hostium incursionem speculatur. Sic Christus Petro: *Satana ascupivit te cibrare,* Luc. 22. v. 31. Ideoque nos perspeculatoris suos, ministros monet, ut nobis caveamus ab hostium nostrorum insidiis, 2. Cor. 11. v. 3. 1. Thessl. 3. v. 2. Apoc. 12. v. 12.

DEUS URSUS EST.

83. Oſc. 13. v. 8. *Occurrare eis sicut ursus.* Ita se ursus equiparat Dominus, 1. *Ob ira vehementiam sua.* Ursus animal ferociissimum & maximè iracundum, irritatum aut exagitatum: Ita Deus irascitur vehementer, exacerbatus, Esa. 63. v. 10. Psal. 78. v. 41. 2. *Ob fortitudinem insignem,* 2. Sam. 17. v. 8. ea ursus tribuitur: Ita Deus fortis est, Gen. 33. v. 20. Tob. 13. v. 1. Psal. 1. v. 4.

3. *Ob occurſus qualitatem.* Fremitu horribili ursus prædam aggreditur: Ita Deus puniturus excandescens fremit, ut cuncta exhorreat, Am. 9. v. 5. Exod. 19. 18.

DIABOLI ET DEI

pugna perpetua.

84. Arca & Dagon in eodem loco subsistere non poterant,

rant, 1. Sam. 5. v. 4. non Isaac & Ismael in eadem domo,
 Gal. 4. v. 30. nec corvus & columba eadem in arca,
 Gen. 8. v. 8. & 9. Moses & Pharao, in eadem terra co-
 habitare non poterant, Exod. 7. & seq. Hebr. 11. v. 24.
 Lucis & tenebrarum nulla est communio, 2. Cor. 6.
 v. 14. Ita Dei & Diaboli nulla est communio, nulla so-
 cietas.

SECURITAS PIORUM

sub tutela Dei.

85. *Pulli gestantur ab aquilis super alas.* Deut. 32. v.
 11. Pulli ergo non possunt laedi, nisi laesis alis aquilarum.
 At illae laedi non possunt, neque a sagitta, quam altissimo
 volatu effugit aquila, neque ab aliis avibus, quas omnes
 spernit: Ergo sub praesidio Dei non timeamus, neque
 Satanæ sagittas, Psal. 91. v. 5. neque homines, Psal. 56.
 v. 5. 12. Psal. 118. v. 6. aut eorum sagittas, Thren. 3.
 v. 12. quia portamur sub aquilarum alis, Exod. 19. v. 4.
 patrocinium habemus sub alis Dei, ut sicubi infirme-
 mur, Deus nos sublevet deficientes, Deut. 34. v. 11.
 2. Cor. 12. v. 2. 9. 1. Cor. 10. v. 13. aut peccatorum no-
 strorum sagittis. Job. 34. 6. vulneratos, & deliquium,
 animi passuros.

SIGILLUM DEI.

86. *Fundamentum Dei firmum sit, habens signacu-
 lum hoc: Dominus novit, quis sui,* 2. Tim. 2. v. 19. Fun-
 damentum hoc ipse Christus est, 1. Corint. 3. v. 11. fir-
 missimum illud, quod adversum portæ inferorum non
 prævalebunt. Matth. 16. v. 18. Cujus signaculum est
 Dei omnisci cognitio, qui abdita cordium scrutatur.
 Spiritus sanctus quoque signaculum est, quo obsigna-
 sumus, Eph. 4. v. 30. 2. Corinth. 1. v. 22, cap. 5. v. 5.
 Eph. 1. v. 14.

De-

87. Psalm. 27. v. 1. Dominus est lux mea, i. Tenebras pellendo. Pellit enim tenebras nostræ tristitia & insensitatem per verbum. Psalm. 18. v. 19. Psal. 27. v. 1. Mich. 7. v. 8. Ille solus est pater luminum, fons omnis notitiae, Jacob. 1. v. 17. cap. 3. v. 15.

2. *Insidias prodendo.* Lux enim insidias prodit, in tenebris alias occultas: Ita Deus spiritualium hostium insidias prodit, qui non veniunt ad lucem, ne opera eorum patescant, Joh. 3. v. 20. Ideo præmonet Apoc. 12. v. 12. nobis caveamus.

3. *Securitatem pollicendo.* Lux enim securitatem promittit: de luce enim securiores sumus, quam de nocte. Ita Deus nos sub tutela sua defendit, Psal. 91. v. 1. Syrach. 34. v. 19. & ita securitatem præstat.

4. *Visum pascendo.* Lux visum pascit alitque; sic spirituales fidei oculi in unius Dei contemplatione defixi, Psal. 119. per tot. pascuntur.

5. Hæc lux & lucerna oleo fidei in cordibus nostris pascitur, cuius typus Exod. 35. v. 14. & 8. Oleum ad luminaria & nutrimenta ignium concinnabis. Verum luminare nostrum Deus: oleo vero fidei velut in cordis lampadis nutrientus. Ambulemus ergo, ut lucis filii, Joh. 12. v. 35. arma lucis induentes, Rom. 6. v. 13. c. 13. v. 12. Philipp. 2. v. 15. ne illud in nos quadret, Sap. 5. v. 6. Erravimus à via veritatis & justitiae, lumen non luxit nobis.

6. Comparatur quoque luci ob puritatem. Lux enim purissima, aliena ab omni inquinatione: Ita Deus mundissimus, purissimus, amat munditatem spiritualem. Sapient. 1. v. 4. *Sapientia non intrabit in animam malvolentem, aut peccato inquinatam.* Fugiamus itaque omnem immunditatem. 2. Pet. 2. v. 10. Heb. 10. v. 29. Gal. 5. v. 19.

7. Ob

7. *Ob radiorum emmissionem.* Lux non latet, sed radios emitit: Deus vera lux radios praesentiæ suæ ubiq; spargit, generalis: Actor, 17. v. 28. *In ipso vivimus, movemur & sumus: grata, cum piis solatio lucet, gratia donis in iisdem fulget, ut & ipsi lux fiant in Domino;* Eph. 5. v. 8. lumen à patre luminum, Jacob. 1. v. 17.

8. *Ob calorem:* Cera & aqua congelata resolvuntur calore lucis solaris: Ita pectora dura emolliuntur à Deo, frigida calefiant: Deus est, qui aufert cor lapideum & dat carneum, Ezech. 36. v. 26. Jerem. 32. v. 39.

DEUS EST PETRA fuorum.

88. 1. *Deut. 32. v. 4. Rupis illius opus perfectum.* Deus vera rupes. 1. *Ob altitudinem.* Petrae & rupes altæ sunt, eminentque: Deus altissimus est, Psal. 9. v. 3. omnibus præcellit, omnia intuetur, Syr. 23. v. 27. pios suos in mari hujus mundi laborare videt, Psalm. 10. v. 14. Psal. 80. v. 17.

2. *Occultationem.* Petrae profugis latibula præbent, 1. Sam. 13. v. 6. Ita Deus refugium est piis, in hoc mundo profugis, Psal. 61. v. 1. Psal. 11. v. 1. Psal. 27. v. 5.

3. *Deserti significationem:* Petrae & rupes in desertis maximè sunt locis: Ergo cum Deus petra esse dicitur, adhuc in deserto mundi vagari intelligimur. *Conf. Mundus est desertum.*

4. *Fortitudinem & robur.* Petra durissima est: Deus fortissima petra est, Psalm. 31. v. 3. Psalm. 18. v. 2. Psalm. 42. v. 10.

5. *Securitatem:* Qui enim in petris sedes fixerunt, tuti à periculis censemur. Pii in petra Deo tutissimi: Felix, qui in Deo fundamentum ponit, Spiritualis ædi-

D ficatione

CAPUT II.

ficationis suæ , Conf. Matth. 7. v. 24. 25. Matth. 16.
vers. 18.

6. *Mysticam significationem.* Petra in deserto aquam dabant, Num. 20. v. 11. & aliás : Deus suis in mundi eremo vagantibus aquam solatii suppeditat, Esa. 30. v. 20. modò precationis baculō percutiatur, Num. 20. v. 11. Mel suppeditabat petra, Deut. 32. v. 4. Deus petra nostra mel verbi dat. Psal. 19. v. 11. *Eloquia Domini dulcia super mel.* Jud. 13. v. 19. *Manoah sacrificium in petra adolebat;* In Christo, verà petrā , omnia sacrificia adolenda sunt, ut altari nostro verissimo, Hebr. 13. v. 10. Job. 22. v. 24. *pro petris dabit Dominus rivos aureos:* In hac vita Deus petra nobis est, ad quam è mundi hujus miseriis & fluctibus confugimus; vacui sèpius solatiō, arescente præ moerore corde: At in altera vita rivos aureos dabit, plenos solatii & gaudii, olei, quō lœtificemur.

DEUS AGRICOLA EST
& vinitor.

89. Johan. 15. v. 1. *Pater meus agricola.* 1. *Ob curationem.* Agricola diligenter curat agrum suum, ut fructum ferat: ita Deus de Ecclesiæ suæ agro solicitus est, ut ei benè prospiciat. Esa. 5. v. 4.

2. *Seminis donationem,* quō conseratur: Hoc semen Dei verbum est: Conf. Verbum Dei est semen: Hoc semen donat Dominus , & agro Ecclesiæ suæ committit.

3. *Irrigationem & fecundationem :* Ager irrigandus : Ita spiritualem hanc irrigationem efficit per doctrinæ celestis rorem & pluviam spiritualem ; per nubes mysticas , ministros scilicet. Vid. Esa. 5. vers. 6.

Spī

Spiritus Sanctus incrementum dat , 1. Corinth. 3.v. 6.

4. *Operariorum missionem.* Hęc quoque cura ad agricolam spectat, Esa.5.v.6. Mittit autem Dominus in Ecclesię agrum operarios, Psal.68.v.12. Matth.9.v.38. Eph.4.v.11.

5. *Elocationem.* Agricola quandoque agrum aliis elocat. Ita Deus agrum Ecclesię modò huic populo, modò alteri elocat, Matth.21.v.33. & 41.

6. *Conservationem.* Esa.5. v. 5. *Pariete & sepe munit Deus Ecclesiam suam.* Ipse est murus igneus, Zach. 2.v.5. in circuitu: Vid. supra all. 79. Sepes sunt Angeli. Turris in agro & vinea Ecclesię sunt status ecclesiasticus & politicus, speculandō, defendendō.

7. *Ob culturam & arationem.* Ager arandus & pastinandus est: Ita Deus agrum Ecclesię arat per legem, Osc.10.v.12.13. ut sibi novum arent: Jer.4.v.3. per poenitentiam cordis agrum frangant, Joel.2.v.13. semen verbi recipient homines, quod in agro arato, non perpetrā, locum habet, Luc.8.v.13.

8. *Delectationem.* Agricola effertur studio visendi agrum, in quo delectatur, si fructum ferat: Ita spirituallis agricola fructibus nostris, per Christum, delectatur, Joh.15.v.11. odorem bonaę fragrantie accipit, Phil.4.v.18. secus fit, si ager sterilis sit, Psal.14.v.23.

9. *Fructuum expectationem:* Agricola fructus ex agro expectat: Ita Deus fructus justitiae, Phil.1. v. 11. à nobis expectat, Jac.5.v.7. Caveas, moneo, fallere Deum, quisquis vis esse frugia gallus.

10. *Fructuum collectionem.* Agricola ex agro fructus colligit: Ita Deus suo tempore pios, triticum, arbores fructiferas, plantas suas colligit in horreum cœli, Matth.3.v.12. Lolium comburet igni, Esa.66.v.24. Matth.25.v.41.46.